

2.
 Forma Coperni-
 nici.

Recito nunc & Copernici formam, si quis ea uti malit, etsi tantum in tribus superioribus locum habet. Ac initium quidem Calculi idem est in utraq; forma. Ablato enim motu anomaliae commutationis ab aequali Solis simplici, relinquitur motus longitudinis aequalis a prima stella Arietis, & ab hoc rursus ablato loco apogei, reliqua fit anomalia eccentrici, per quam inuenta, ut prius, prosthaphæresis eccentrici addatur uel auferatur anomaliae commutationis, ut fiat coaequata. Cuius & scrupulorum proportionalium adminiculo rursus uenaberis absolutam prosthaphæresin orbis. Haecenus omnia conueniunt. Sed nunc uide dissimilitudinem. Hanc absolutam prosthaphæresin orbis aufer ipsi anomaliae commutationis, dum minor est semicirculo, uel adde, dum maior est. Ita enim conflatur uera distantia stellae a loco ☉. medio in praecedentia, uel contra signorum ordinem, quam distantiam, ubi abstuleris ex medio motu ☉ simplici relinquitur uerus planetae locus a prima stella V. cui adiecta uera praecessio calculum absoluit, ut prius. Quare ut finem tantum praecedentis calculi repetamus, per coaequatam anomaliam commutationis sex 2. part. 11. scrup. 17 1^a, 45 2^a, existit, ut prius, absoluta orbis prosthaphæresis part. 4. scrup. 47 1^a, 4 2^a, quae iuxta Copernici ἐπιλογισμῶν subtrahenda est ab eadem coaequata anomaliam commutationis, eò quod semicirculo minor est. Distantia igitur uera planetae a medio loco ☉, sed in praecedentia est sex 2. part. 6. scrup. 30 1^a, 41 2^a, quae ablata rursus a medio motu ☉ simplici sex 0. par. 26. scrup. 54 1^a, 29 2^a, relinquit ueram distantiam planetae a prima V. sexa. 4. part. 30. scrup. 23 1^a, 48 2^a, ut prius. Et haecenus tantum Copernici forma differt a Ptolemaica, qua similiter uti licebit in ♃ & ♄, non item in ♀ & ☿, Caeterum calculum motus, seu ut Graeci loquuntur, ἐπιλογισμῶν ἀποφορέας omnium planetarum ad datum tempus inclyti Ducis Borussiae in tabella spectandum proposui, ne in hac quoq; parte discentium studijs deesset noster conatus.

πρὸς ἡμερῶν
 κινήματος.

XXXV. PRAECEPTVM DE CALCULO
 ueri motus diarij alicuius horum
 5. Planetarum.

Non est dissimilis forma ab ea, quam supra in Sole ac Luna usurpauimus. Duntaxat igitur exemplum hic requiri potest, quod superiora reuocet in memoriam. Ad horam igitur nataliciam inclyti Ducis uerus motus ♄. est a prima stella V. sex 0. part. 10. scrup. 35 1^a,
 28 2^a.